



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 1. Quomodo vocanda est actio, quâ panis & vinum convertuntur in Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

CAPUT VII.

De Actione quâ Corpus Christi est in Eucharistia, ac de modo quo ibi realiter existit.

*Quaest. I. Q*UOMODO vocanda est actio, quâ Panis & vinum mutantur, seu convertuntur in Corpus & sanguinem Christi in Eucharistia?

Resp. Actio quâ Panis, & vinum, quæ sunt materia Eucharistiae, convertuntur in Corpus & sanguinem Christi Domini, vocatur ab Ecclesia Catholica Transubstantiatio; ut enim Conc. Trid. ait Concilium Tridentinum: *Quoniam autem scilicet 13. c. 4. Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub specie Panis offerebat, verè esse dicit: ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem Panis & vini, conversionem fieri totius substantia Panis in substantiam Corporis Christi Domini, & totius substantia vini in substantiam sanguinis ejus. Quæ conversio convenienter & propriè à Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.*

D. Ambro. Can. Pani. 55. De Consecr. dist. 2. Et, ut ait Divus Ambrosius relatus in Canone. *Panis est in Altari usitatus ante verba Sacramentorum: Vbi accessit consecratio, de Pane fit Caro Christi.*

Can. Nos autem De Consecr. dist. 2. Dicitur etiam in Canone: *Cùm fideliter fateamur ante consecrationem esse Panem & vinum, quod natura formavit, post consecrationem verò Christi Carnem & sanguinem, quod benedictio consecravit.*

Denique Concilium Lateranense sub Inno-

De Sacram. Euchar. Cap. VII. 161

centio III. Corpus & sanguis Christi Jesu, ait Concilium, in Sacramento Altaris sub speciebus Panis & vini veraciter continentur, transsubstantiatis Pane in Corpus, & vino in sanguinem potestate divinâ.

Cap. Firmiers
De summa
Trinitate.

Quæst. 2. Quid est Transsubstantiatio?

Resp. Constat ex inductis auctoritatibus, transsubstantiationem esse conversionem, seu mutationem totius substantiæ in aliam substantiam, quæ illi succedit ex vi hujus conversionis.

Est primò conversio, seu mutatio, quia in transsubstantione una substantia transit in aliam substantiam.

2. Est *mutatio totius substantiæ in aliam substantiam illi succedentem*; per quod transsubstantiatio distinguitur à quacumque alia mutatione tam substantiali, quàm accidentali. Primo ab accidentali, in qua substantia non mutatur nisi quia recipit novum accidens, quod non habebat. Secundò à mutatione substantiali, sive contingat per conversionem, aut creationem, sive annihilationem. Nam in conversione substantiali, naturali, & consueta tota substantia non mutatur, tam quoad materiam, quàm quoad formam, cum materia semper remaneat: at in transsubstantiatione nihil remanet, neque materiæ, neque formæ. In creatione quoque, una substantia non mutatur in aliam substantiam, sed producitur ex nihilo; & in annihilatione una substantia redigitur in nihilum; in sola igitur transsubstantiatione una substantia transit, seu mutatur in aliam.

Tertiò est mutatio, quæ fit *Ex vi & virtute conversionis*, quia in transsubstantiatione necesse est, ut substantia desinat esse per eandem virtutem, quæ aliam ejus loco producit;